



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 41. Media acies ductore Connestabili profligata, ipseque captus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

tiorum, & Germanorum agmen stabat, ut laborantibus opem ferret, cum tribus equitum alis, ac levi armatum progressus esset, supervenientibus duobus equitum Germanorum vexillis circumfusus, & in dextrum cornu vi impulsus paulo longius abripiebatur: in hoc autem conflictu Gabriel Momorantius Monbrunius Damvillæ frater occisus est: Rupifolcaldius vero, qui centum cataphractos equites penes se habebat, quamvis peditatum minime deferendum censeret, nihilominus quasi torrente raptus & ipse per frontem, quæ integra restabat, & Sarissophoris egregie armatis firmata erat, impetu facto in Helvetios invehitur, a quibus tamen non sine suorum damno repulsus est.

## §. XLI.

*Media Connestabilis acies cæsa, & ipse captus.*

*Brantome dans l'Eloge de d'Aussun. La Popel. l. 8. Mezer. ab-rege chron. tom. 5. p. 3.*

Eodem tempore Colinius Archithalacsus cum suo agmine, & duobus Germanorum equitum vexillis ipsius dextrum latus tegentibus, ac Porciani turma in Connestabilem Momorantium, & octo equitum vexilla, quæ extremam aciem claudebant, signa infert, & post aliquot tormentorum dispositiones, quas aut devitavit, aut levi cum damno



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

damno sustinuit, obvios quosque sternit, plerisque in fugam conversis, qui eodem die Lutetiam petiere, & triste de clade accepta nuntium in urbem per-  
tulere: quinimo ex ipsis Belliducibus potissimi militum suorum exemplum sequebantur, inter quos ipse etiam Ossu-  
nius nobilis Vasco, ac Marefcallus, cu-  
jus fortitudo bellis subalpinis perspecta  
in proverbium abierat, sicut ceteri fuga  
sibi consuluit, sui que ipsius oblitus Car-  
nutum usque secessit, ubi ignaviae com-  
missæ pudore tantopere tangebatur, ut  
febri correptus paucis post diebus e vi-  
vis excederet.

Momorantius quoque Connestabilis  
suffosso equo, cum alium ab Orasono  
Legato suppeditatum ascendisset, rur-  
sus in maxilla inferiori graviter sclo-  
peti ictu vulneratus undique circum-  
funditur, ac postremo a Roberto Stuardo  
Vezinio captus est. Accurrebant ta-  
men Germani equites, qui Connestabi-  
lem abs dubio Roberti manibus eri-  
puissent, nisi Porcianus Princeps nomi-  
ne Antonius de Croy supervenisset,  
qui tamen captum omni humanitatis,  
& officii genere est prosecutus, quam-  
vis Montmorantium sibi summopere in-  
fensum habuerit, eo quod Porcianus  
Arescotio Duci, ut ex Vicentiensi car-  
cere dilabi posset, auxilium præstitisset,

set,



Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

set, ac proin Connestabilem lytri ab hoc Duce pendendi, quod Rex Montmarantio dono dederat, summa defraudasset: verum capti sui infelicitas Principem Porcianum magis commoverat, quam injuriam ulciscendi cupiditas, quapropter illum solari, ac beneficiis cumulare unice intentus erat.

§. XLII.

*Singularis fortitudo mediæ aciei.*

Thuan. Popel. l. c.

Pariter capiebatur Brichanteus Bellovafius, qui ex vulnere in pugna accepto postea unacum Brossio decessit. Renatus quoque Anglurius Giurius fuit trucidatus: Aumulus autem Dux in terram postratus, & equorum pedibus conculcatus obiit: denique illa septendecim Britonum signa, quæ idem Dux tegebat, cum a Connestabili haud amplius adjuvarentur, retrocedebant, totaque mediæ acies in fugam acta est, exceptis Helvetiis, qui restaurato prælio Germanos pedites singulari virtute repellabant, eademque animi fortitudine Germanos, & Gallos pedites sustinebant, eoquod hujus agminis frons adhuc integra esset: postea auctis animis amissa quoque belli tormenta recuperare nitebantur.

Horum jacturam veritus Bellidux Mojus ad hostium impedimenta usque pene-